



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum  
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ  
Calvino-Catecheticæ**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Moguntiaë, 1626**

Ad Qvæst. LXXXIX. Quid est mortificatio veteris hominis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35247**

que Christum anathematizant: ergo ipsi anathema sunt.

AD II. Dico 1. Bellarminus eo in cap. 4. ducit probationes à Praxi Apostolorum; postquam cap. 2. ex Institutione ipsa Veritatem demonstrasset; vti iam strictim ex eo perscripsi. Itaque Ministri candorem, vt alias plerumque, hic desidero, vt qui fundamenta capitis 2. inuoluit silentio; producitque practica loca; quasi his firmiora non suppetent: Et quasi ibidem non luculentius doceret Bellarminus intentum, quam Minister. Lorinus verò ita senserit: ergo ille potius erit audiendus, quam cum plurimum consensu Bellarminus?

AD III. Iam, vt ad superiora, ibidem respondit Bellarminus. Oportuisset Ministrum prius ipsum refutasse; dein sua produxisse. Vide ipsum; nõ ego tibi hic eum perstrinxerim compendio. Quid? ipsius S. Iacobi dictum transuersum agis atque detorques; mihi, aliisque Pontificiis pareceres? In talibus non responsione, sed reprehensione dignus es; si Dei seruum litigare deceret.

AD IV. Distingue: Glossator, & alij sentiunt; Ab Vniuersali Traditione, non ipsum Sacramentum, eiusque Præceptum; sed præcepti Determinationem in modo, tempore, casu, & causa, &c. dispositum potius, quam institutum, dici, ac esse.

## AD QUÆST. LXXXVIII.

*Quibus partibus constat conuersio hominis ad DEVM?*

CALVINVS Inst. l. 2. c. 4. & lib. 3. c. 3. Contraia Catech. si & Ministro promit.

MINISTER. 1. Imperite dicit Patochus Conuersionem ad Deum constare etiam Remissione peccatorum; quæ certe illius non pars, sed effectus est potius & fructus consequens.

2. Remissio quoque peccatorum est pura pura actio Dei extra nos: Conuersio autem est actio Dei in nobis; siue potius Actio nostra per Gratiam Dei. Itaque Remissio non potest esse pars nostræ conuersionis.

3. Ita Scripturæ suadent Mortificationem & Viuificationem.

RESPONDEO. Imo suus Ministro Paræus respondet in Explic. Catech. q. 88. §. 3. Conuersionis

pars prior Mortificatio continet, 1. Agnitionem peccati, & iræ Dei; 2. Dolorem de vtroque: 3. Detestationem & fugam peccati: Viuificatio tria contraria: Agnitionem misericordiæ Dei & Christi: Lætitiâ ex placato Deo natam: Studium nouæ obedientiæ. Hæc tria in viuificatione, si rem spectes ipsam, quid sonant nisi remissionem peccatorum; quæ Mortificationem inter ac Viuificationem media interuenit? vt Viuificatio sit effectus potius Remissionis.

Iterum Paræus: §. 4. Conuersionis causa Principalis est Deus: Instrumentalis proxima, Fides: Instrumentales mediæ, Lex, & Euangelium. Non omninò malè: benè, si Remissionem expressisset.

Renouationis internæ hic est processus ac ordo: 1. Peccator iacet: 2. Dei gratia excirat iacentem præueniens: 3. Huic assentiens eligit pœnitentiam: 4. Opera facit pœnitentiæ: 5. Sic disposito gratia Iustificationis infunditur. Et hæc continet Remissionem & Renouationem in quasi renatis: Ista, si libet, prolixius discat Minister ex Lutherocaluinista par. 4. q. 47. 48. 50. ne porro tum inepte ineptiat, ac hæreticisset.

AD II. Sicut in ouo superiore non vnus solum struthio latuit hæreticus; ita & in hoc: Remissio, ait, est pura pura actio Dei extra nos, scilicet non imputantis nobis peccata. Quæ est hæresis. Intra nos est, vt scias, impressaque in anima qualitas permanens obice peccati remoto; non tecto solum. Vide Lutherocalu. par. 4. qq. 61. 63. 64. & Antichristum par. 4. q. 15. Scripturæ vè ò nos hortantur ad mortificationem concupiscentiæ in nobis, & ad Viuificationem per augmentum gratiæ acquirendæ conseruandam.

## AD QUÆST. LXXXIX.

*Quid est mortificatio veteris hominis?*

CALVINVS Institut. l. 3. cap. 3. ferè ita dictauit Catechismo: *verè de peccatu dolere, eaque fugere.*

MINISTER: Culpat Excaluinizarorem addentem ista. *Non quidem propriè: sed passionum ac appetituum in ordinem redactio sub lege Christi.* Quia hæc in Scripturis includitur sub voce peccati.

RESPON-

RESPONDEO. Tantum errant isti; quantum probatio Ministri à Scripturis docet potius cohibitionem Concupiscentiæ, quam dolorem fugamque peccati. Vt Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mort. corpore, vt obediatis CON-  
CUPISCENTIIS eius, Col. 3. Mortificate membra  
vestra, que sunt super terram. &c. fornicationem. &c.  
concupiscentiam.* Quia ideo (tua recipe verba) *hec in scripturis excluditur, excluditur potius, quã  
includitur sub voce peccati: ac proinde non erat hic o-  
pus tali censura Ministri; eratque mihi opus tali cor-  
rectione, vel additione, vt hæresis de concupiscen-  
tia, quod sit ipsa peccatum, excaluinizaretur.*

## AD QVÆST. XC.

*Quid est viuificatio noni hominis?*

CALVINVS *Instit. l. 3. c. 3* præcinit Catechesi atque Ministro culpante, quod Parochus inepte remissionem dicit alteram esse viuificationis partem. & frustra addit *operosum* voci studium.

RESPONDEO: Id iam supra ad q. 89. Liquet. Ergo Minister inepte errat. De voce *operosum* frustranea, fateor; nec enim, aduertit clausulam Catechetica hanc: *omniaque bona opera exercendi.* Sed huic nunc addo: *Non solum vt opera Gratiitudinis; sed vt meritoria salutis.* De quo supra.

## AD QVÆST. XCI.

*Quæ sunt bona Opera?*

CALVINVS *Instit. lib. 3. cap. 15. 16. 18.* fuse dicit; Vnde Catechesi cliquauit opera legis diuinæ; & vt vappam euaporauit opera legis Ecclesiasticæ, & Traditionum.

MINISTER, Parochum ad opera conficta addidit *erroneè, & superstitiose*; nil opus fuisse ait: & in Papatu plurima opera extra, & contra legem DEI, tanquã Cultus Dei, erronea & superstitiosa esse conuincimus ex Deut. 12. *Non facietis singuli, quod rectum est in oculis suis: sed quod ego precipio tibi, hoc tantum facito; nec addas quicquam, nec minuas.* Matth. 15. *Sine causa, colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et omnis *επιλοβομαρτια* damnatur Col. 2.

2. Negamus penes Ecclesiam esse auctoritatem absolutam condendi leges contra legem Dei: Falsum-

que illud Stapletoni Controuersia 4. l. 3. c. 9. *Non quomodo probet; sed quid dicat Ecclesia, aduertendum est.* Fateatur tamen extra legem Dei habere Ecclesiam quædam præcipiendi potestatem ad Ordinem, regimenque Ecclesiæ: Non tamen ea quæ, vt ad salutem necessaria, sint extra legem Dei. Vide supra *quæstio. 21.*

RESPONDEO. AD I. Opus fuisse additiuncula ista docet Minister, dum Nos insinulat *επιλοβομαρτιας*, Contra Dei Legem confictæ: quod nego & esse calumniam aio: *Extra eam*, materialiter, concedo; at non formaliter: Quia ex eodem dictatore Spiritu S. promanarunt Traditiones; ex quo & Dei Verbum scriptum: vt hoc nec esse sciamus, nisi ex illis. Vide supra ad *quæst. 21.* Deut. 12. agitur de verbo Tradito, quod precipio: non de scripto. Et illa Tradita iubentur seruari; non deprauari, Matth. 15. agitur de superstitiosis.

AD II. Ecquid Romana Ecclesia præcepit vnquam contra legem Dei? *Extra*, quidem, neque pauca, neque ad salutem, vt non omnibus omnia, at aliquibus aliqua, non necessaria: vt docui in *Lutherocaluin. par. 1. quæst. 5.* Stapletoni autem vox ea vera est: *Quia accedentes ad Deum oportet credere: sic & degentes in Ecclesia Dei infallibiliter vera, iusta vtiliaque proponente, ad-  
eo, vt qui eam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* At non audit, sed spernit etiam Minister Romanam, sequiturque Babyloniam.

## AD QVÆST. XCII.

*Quæ est Lex DEI?*

MINISTER ex *Caluini Instit. lib. 2. c. 8.* promittit talia. MI. Papistæ, vt turpissimam suam *εικονολατρευ* velent, secundum Decalogi occulant sub primo, & decimum secant. Imò in Catechismis secundum de imaginibus expunctum est.

2. Sed vitiosa eorum distinctio est: 1. Quia primum agit de vno Deo colendo; secundum de Mōdo colendi DEVM: iuxta duplicem idololatriæ speciem.

2. Decimum est vnum: 1. Quia vna prohibetur concupiscentia: vnde Rom. 7. dicitur huius præcepti, non præceptorum summa esse, *Non concupisces.* 2. Quia Exod. 20. & Deut. 5. repetuntur ordine diuerso: sique